



Per.  
Lat  
020

## LATIN NYELVŰ LAP A TANULÓ IFJÚSÁG SZÁMÁRA

Prodit Budapestini, I. Verpeléti-út 22. decies in anno.  
Pretium praesolvendi annum 4 pengő 80 fillér.

Megjelenik Budapesten, I. Verpeléti-út 22. tízszer egy évben. Előfizetési ára évi 4 pengő 80 fillér.

### De Parthenone.

Templum Minervae sacrum: Parthenon, in arce urbis Athenarum positum, quamquam iniuitate<sup>1</sup> temporum<sup>1</sup> mutilum<sup>2</sup> ruinosumque<sup>3</sup> ad nostram aetatem remansit, his quoque temporibus maxima cum admiratione nos imbutit. Artifices clarissimi: Canova et Thorwaldsen hoc Phidiae opus unicum esse in toto orbe terrarum pronunciabant, cuius etiam reliquiae omnia alia superarent monumenta, quae ubique unquam artificiosa manu facta essent.

Media Atticae parte, circumsaeptum e longinquo montibus, saxum praeruptum eminet: arx Athenarum, a Graecis *acropolis* dicta. Arduae rupes ex tribus partibus arcem defendunt, tantum obeuntis<sup>4</sup> solis<sup>4</sup> partes<sup>4</sup> sunt leniter declives, ubi via in arcem fert, quae sacras res urbis, templo-

deorum magnifica thesaurumque publicum olim continebat.

Namque templis veterimis a Persis detritis exustisque nova amplioraque aedificabant tempora postquam Graeci libertatem recuperaverere barbarosque terra marique bello superavere.

Iuxta templum, quod dictum est *Hecatompedon* (templum centum pedes longum), hostibus apud Marathonam devictis novum placuit aedicari templum, Minervae dicandum. Pecuniam ad absolvendum opus Pericles comparavit, operi Ictinus et Callicrates praeerant, ornamenta autem Phidias confecit, cuius descriptio-nes<sup>5</sup> operarii observabant,<sup>6</sup> quique ipse



<sup>1</sup> az idők mostohasága miatt    <sup>2</sup> esonkán    <sup>3</sup> omladékban    <sup>4</sup> nyugati rész    <sup>5</sup> tervezés    <sup>6</sup> valamihez igazodik.



manum operi imponebat. Incepsum est opus anno 447. a. Chr. n., adductum ad exitum decem annis post.

In hoc templo celebrabantur *Panathenaica* Palladi sacra, cuius festum minus quovis anno agebatur, maius autem quolibet quinquennio semel tantum cum variis certaminibus.

Saeculo quinto p. Chr. n. *in usum Christianorum* est commutatum templum consecratumque Matris Dei nomini, postea autem *aedes<sup>7</sup> sacra<sup>7</sup> Turcorum<sup>7</sup>* ex eo facta est. Urbe a Venetis anno 1687. obsessa Turci horreum<sup>8</sup> pulveris<sup>9</sup> pyrii<sup>9</sup> colloca- bant in templo, quod cum ignes concepis- set, totum aedificium in duas partes dis- plosum est. Casus bellicos iterum perpes- sus<sup>10</sup> est Parthenon tempore belli, quod Graeci pro libertate recuperanda cum Turcis gesserunt, sed haec calamitas iam multo minoris momenti erat.

7 mecset 8 raktár 9 lőpor 10 elszenved.

## Fossa regis Csörsz.

Fabula populi.

In finibus comitatum Borsod et Heves, in plano vestigia cuiusdam fossae videntur, quae per plura milia passum a Tibisco ad Danuvium versus dicit. Fossa similis est sulco,<sup>1</sup> aratro quodam giganteo facto et his quoque diebus fossa regis Csörsz nominatur. Incolae regionis haec de ea narrant:

Olim, priusquam maiores nostri patriae

fines et dulcia arva ingressi sunt, vixit hic rex quidam, cui nomen Rad erat. Rex statura ingenti, sed pravo<sup>2</sup> ingenio erat, qui regna vicina armis subegit. Tunc temporis quoque regi cuidam bellum illatus foedus cum rege Avarorum, adulescente, aetatis flore virenti, nomine Csorsz init. Ad Tibiscum convenere exercitus societate iuncti. Reges brevi tempore hostes oppresserunt fuderuntque, velut cum flumen inundatione<sup>3</sup> auctum<sup>3</sup> aggerem<sup>4</sup> oppositum diruit.

Proelio confecto reges convivium lautum<sup>5</sup> instruxerunt, tum Rád auxilium remuneratus<sup>6</sup> partem praedae socio obtulit. Oblatam praedam hic repudiavit nuptiasque regis filiae optavit, quae erat virgo mira pulchritudine.

Sed Rád, rex nequissimus, etiam regnum regis Csörsz concupivit. Regem iuvenem e regno expellere, quod Tibiscus flavus lava bat, vehementer studebat. Neque tamen socium et amicum aperte prodere voluit. Dis tulit itaque consilium, ut regno eius brevi potiretur et, quamquam filiam regi Csörsz in matrimonium dare minime volebat, mente dolosa his eum fefellit:

— Sit, licet, mi Csörsz, filia mea tibi de-sponsa! Sed tunc tantum uxor fiet tua, si a Tibisco usque ad hunc locum fossam tam longam patulamque<sup>7</sup> effodi iusseris, ut filiam meam: Délibáb, in illa navi domum por-tare possis.

Cum Csörsz voluntatem regis intellexisset,  
citato<sup>8</sup> equo<sup>8</sup> confestim ad Tibiscum ruit.  
Haud multo post gens eius tota in labore de-  
sudabat,<sup>9</sup> Mille manus frangebant gramina<sup>10</sup>  
inter Tibisci nemora. Fossa longa scinde-  
batur opusque in dies procedebat. Dies noc-  
tesque iuvenis instabat labori suosque iam  
iam languescentes hortabatur.

Impatiens morae exspectabat sponsum  
Délibáb, nihiloque minus ardebat amore  
Csörsz. Sed menses et anni labebantur,  
neque opus ad finem perductum est. Quon-  
dam in somno vidiit puella sponsum in  
fluctibus fossae navi aurea appropinquan-  
tem. Sed navis nunquam appulsa est.<sup>11</sup>

1 barázda 2 fonák 3 megáradt 4 gát 5 fényses,  
pompás 6 viszonoz 7 tág, széles 8 vágatvatva 9 fára-  
dozik 10 haraszt 11 kiköt.

Eadem nocte, cum in somno rex nuptae suae apparuit, tum quoque ultiro citroque ad fossam equo vehebatur hominesque fessos adhortabatur. Nox erat atra et procellosa. Ignes fulminis micabant caelumque pervolitabant. Rex miserrimus irati caeli fulmine iactus, mortuus de equo decidit.


Cum Délibáb de morte sponsi certior facta esset, propter dolorem mente capta est. Perpetuo delirabat<sup>12</sup> seque a rege Csörsz in ima fossa, in domo quadam aurea expectari putabat. Aliquando autem domo aufugit incurritque in aquam, ubi periit. Rex crudelissimus, Rád, nunquam se postea filia amissa consolari potuit.

In comitatu Borsod apud fossam incep tam nunc quoque est pagus, qui «Árokto» nominatur. Illo autem loco, ubi pars extrema fossae est, populi considerant et vicus «Árok-szállás» ab iis conditus est.

Zalaegerszeg.

Ioannes Móra.

<sup>12</sup> magán kívül van.



## LECTARIUS MINIMIS.

*Ex fabulis Andreae Fáy.*

### Regulus<sup>1</sup> et aquila.

«Salve collega!» — allocutus est regulus aquilam in celsa arbore sedentem. — Regina avium salutationem audivit, sed unde vox veniret, quisque salutator esset, non vidit. Aegre tandem aviculam in summa saepe<sup>2</sup> residentem conspexit. «Num tu quoque rex es?» — interrogat regulum aquila. «Quid, tu nescis — ait ille superbe — me regem esse superque saepes regnare?»

«O felicem regem, — respondet aquila superbiam aviculae irridens<sup>3</sup> — cuius imperio nemo invideat. Tute enim nec praeda, nec hostis dignus es, qui observeris!»<sup>4</sup>

### Grues.

Ductrix gruibus natu maxima autumno praeerat. Cuneo<sup>5</sup> lente, attamen assidue

progrediente natu minores indignari coepunt. «Heus, anicula, me cuneo praeficere ne recuses» — ait denique acerrima iuvenum, — ceterum hieme exeunte nos domum recipiemus!»

Et iam gubernaculum tenet ac sicut fulgor caterva gruum per caelum se proripit. Tamen nova gubernatrix haud longo post intervallo anhelare<sup>6</sup> coepit. «Recipe, quaeso, iterum gubernaculum!» — lamentabatur tandem veniam exorans.

«Iam video — respondet illa, — iuvenem, ubi cito opus sit facto esse necessarium, at labori longae patientiae senem praeesse oportere.»

Sebastianus A. Módy.

<sup>1</sup> ökörszem <sup>2</sup> kerítés <sup>3</sup> kigúnyol <sup>4</sup> tekintetbe jön  
<sup>5</sup> ék <sup>6</sup> liheg.

## Colloquium.

*Marcus:* Publi, cur ita tristis incedis?  
Ecquid accidit?

*Publius:* Et magnum quidem.

*Ma:* Dic, oro.

*Pu:* Machina radiophonica quantopere gaudebam!

*Ma:* Num fregisti eam?

*Pu:* Tam stolidum me esse putas, qui eam recte nesciam usurpare? Omnino destitutus<sup>1</sup> sum machina, utinam adasset, quam frangere possem!

*Ma:* Quo modo, quis sustulit?

*Pu:* Disciplinae publicae administer.

*Ma:* Audierasne sine publica potestate?

*Pu:* Siquidem ne periculum<sup>2</sup> quidem facere<sup>3</sup> conceditur. Sed hoc tantillum non licere minus licet.

*Ma:* Quando id accidit?

*Pu:* Quindecim fere abhinc diebus, me domo absente.

*Ma:* Nonne statim per litteras requisisti?

*Pu:* Et requisivi et responsum accepi me contra nescio quot legis statuta peccasse clam machina usitanda; poenam autem ad 3 pengő reduci, seu ad sex horas custodiae si mallem custodia teneri.

*Ma:* Custodiā malis. Gaude! Plus tibi

<sup>1</sup> megfosztott <sup>2</sup> kísérletez <sup>3</sup> tudakozódik,

honori vertetur, quam ignominiae, si prorsus<sup>4</sup> ignominiae est scientiae quasi victimante in carcere esse detentum... Ceterum, ioco remoto, machinam aliquando recuperabis, an non?

*Pu: Minime vero! Hanc si recipere, nihil mea interesset de poena danda.*

*Ma:* Iterum scribito te — id quod rest — tum in eo fuisse, ut machinam tuam in officina<sup>5</sup> cursus<sup>5</sup> publici<sup>5</sup> indiceres riteque impendium<sup>6</sup> solveres.

*Pu*: Optimum est consilium istud. Scribam si sponte non restituatur,<sup>7</sup> me velle ablatam redimere denuo.

*Ma: Quanti constiterat antea?*

*Pu: Trecentis pengő emeram.*

*Ma: Ubi primum aliquid circa id compereris, me fac certiorem!*

Pu : Faciam. Vale !

J. H. Salish-

<sup>4</sup> egyáltalán <sup>5</sup> póstahivatal <sup>6</sup> díj <sup>7</sup> visszaad.

## De Olympia.

Scripsit *Franciscus Mezö d<sup>r</sup>.* In Latinum convertit  
*Carolus Ács.*


Homines<sup>1</sup> cor*u*cti<sup>1</sup> pro victoria certant  
non victoriam adipisci ardentes, sed haud  
ignari adepta palma Olympia se magna  
mercede auctoratu*s*<sup>2</sup> atque operam suam  
impenso<sup>3</sup> pretio<sup>3</sup> emptum iri. Iam vero Grae-  
corum interitu et occasu fatali appetente  
fieri non poterat, quin Olympia cum anti-  
quitatis, tum omnium saeculorum maxime  
memorabilia occiderent. Victorum longus  
ordo a semideis  
inceptus desiit<sup>4</sup> in  
Varazdate, qui  
Olympiade 291.  
pugilatu victor  
paucis annis post  
Armeniae rex fac-  
tus est.

Anno p. Chr. n.  
393., Olympiade  
293., cum Theodo-  
sius Olympia  
sustulisset,<sup>5</sup> Iovis  
arae existinctae  
sunt, iam non

surgebat sacrorum fumus sublimis, clamor  
spectantium conticuit, sacer lucus iam non re-  
sonabat carminibus laetis: silentium, solitudo  
ac vastitas fluminis Alphei vallem obtinuit.  
Gothi Alarico imperatore pervastata Graecia  
meridionali ne Olympia quidem abstinuerunt.  
Aedes illae ornatissimae magnificentissimae-  
que ruina collapsae sunt. Annis post Chr. n.  
522. et 531. terrae motu clades et vastitas a  
Gothis incohata continuatur adiuvante Al-  
pheo, a quo parietinae<sup>6</sup> magis magisque  
limo obruuntur. Media, quae vocatur, aetate  
Olympia penitus neglecta saeculo demum  
duodecimmo curae hominum esse coepit  
atque Ernesto Curtio auctore munificentia<sup>7</sup>  
moderatorum<sup>8</sup> rerum Germanicarum ab anno  
1875. usque ad annum 1881. parietinae ope-  
riuntur. Erutis parietinis Olympiis cognitio  
et scientia antiquitatis maxime adiuvatur  
atque inde haud parum adiumenti ad cog-  
noscendas Graecorum artes et curas, quas  
ad corporis cultum et exercitationem ad-  
hiberent, suppeditatur.<sup>9</sup> Curtii ceterorumque  
virorum operam et labores subsequitur in-  
stauratio<sup>10</sup> ludorum Olympiorum, qui inde  
anno 1896. totius terrarum orbis excultioris  
communia sollennia celebrantur.

Serum diei erat, cum Olympiam advenimus, queni locum sicut vir fanaticus<sup>11</sup> Sanctam Terram plenus religionis ingressus sum. Penitus commotus hanc antiquitatis effluxae<sup>12</sup> fortunatissimam sedem attigi. Hic stabat Iovis templum, cuius parietinae e terrae<sup>13</sup> visceribus<sup>13</sup> erutae sunt. Hae antiquitatis aedes summo artificio saeculo a. Chr.

n. quinto exstructae sunt, quarum unum tympanum,<sup>14</sup> quod ad orientem solem vergit, unam ex fabulis, de origine



*Columnae templi Iunonis.*

1 hivatásos ver-  
senyzők 2 elszegő-  
dik 3 jó arón 4 be-  
fejeződik 5 megsün-  
tet 6 régi kőfalak,  
romok 7 bőkezüség  
8 német kormány  
9 bőven nyújt 10 fel-  
újítás 11 hívő 12 el-  
mult 13 földtakaró  
14 orommező.

ludorum Olympiorum, qua Oenomaus et Pe-  
lops curru certantes narrantur, alterum La-  
pitharum et Centaurorum certamina repre-  
sentabat.<sup>15</sup> Quarum effigierum eminentium  
quaedam in Musaeo Olympio etiam nunc vi-  
suntur, sed maxima earum pars Musaeo Bri-  
tannico Londinensi ornamento est. In templo  
Iovis erat antiquitatis celebratissimum mira-  
culum, id est Phidiae ex auro et ebore factum  
simulacrum Iovis, qui patrem deorum se-  
dentem finxit, quod simulacrum metra fere  
viginti erat.

Phidiae opus perfectissimum amplius oc-  
tingentos annos adyta<sup>16</sup> ornabat, Olympia  
iam consenescente et ad finem vergente  
Constantinopolim advectum incendio ab-  
sumptum est. Basis<sup>17</sup> simulacri, cuius magna  
pars exstat, calce<sup>18</sup> cineracea<sup>18</sup> facta erat. Ex  
partibus aulem, quae exstant, templi mensura  
certissima fieri potest: 68 metra in longitu-  
dinem, in latitudinem 30 metra, in altitudi-  
nem, ut viri docti ratiocinantur,<sup>19</sup> 21 fere  
metra patebat. Ex tecto, primum Pario, post  
Pentelico marmore facto nihil quidquam  
restat, sed supersunt columnae 38 quamvis  
fractae<sup>20</sup> et comminutae.<sup>20</sup> Viginti columnae  
in pristino<sup>21</sup> loco stant, quaedam vero atque  
eae, quae iuxta templi latus ad meridiem  
sitae sunt, ita fractae iacent, ut terrae motu  
collapsae<sup>22</sup> videantur. Ante frontem ad orien-  
tem vergentem collocata erat Paeonii no-  
bilissima Nica, quae dea victoriae ex Olympo  
delabens passis alis ficta erat, cuius basis  
in pristino loco posita est, reliquiae quaedam  
in Musaeo Olympio custodiuntur.

Nec sola nec vestigium ullum aerae Iovis  
grandissimae exstat, quae a templo ad septen-  
triones spectabat et in circuitu 40 fere metra  
amplectabatur, sed templi Vestae haud pro-  
cul inde siti complures partes comparuerunt.<sup>23</sup> Quarum columnarum maxima in  
iunctura et structura varietas erat, quae  
inde orta esse dicitur, quod columnae anti-  
quitus<sup>24</sup> e ligno factae sensim cum lapideis  
commutatae sunt, quarum unaquaque ad  
exemplum structurae, quae tum, cum orta  
esset, vigebat,<sup>25</sup> facta est. Partes templi etiam  
nunc facile cognoscuntur, atque statuarum,  
quae ibidem positae erant, basis exstat. Quod  
templum temporibus antiquis thesaurus<sup>26</sup>

erat, in quo etiam regis Iphiti discus vetu-  
stissimus custodiebatur, in quo foedus, quod  
Iphitus rex Eleorum et Lycurgus rex Lace-  
daemoniorum de faciendis ludis inter se  
inierant, incisum<sup>27</sup> erat. Ibidem visebatur  
celeberrima illa Cypseli cista,<sup>28</sup> cuius ex  
auro et ebore factae figurae fere omnes  
Graecorum fabulas expressas continebant;  
atque ibi erat Colotei mensa ex auro et  
ebore, in qua coronae oleaginae,<sup>29</sup> praemia  
certaminum Olympiorum visendae expone-  
bantur; ibi stabat simulacrum pulcherrimum  
Mercurii a Praxitele summo artificio factum,  
quod effossis parietinis integrum<sup>30</sup> illibatumque<sup>30</sup> comparuit.<sup>23</sup>

15 ábrázol 16 szentély 17 alapzat 18 szürke mészkő  
19 számít 20 darabokba 21 törve 22 ledől  
23 előkerül 24 eredetileg 25 divatos 26 kincsestar  
27 rávés 28 láda 29 olajfából való 30 sérzetlenül.



In Alpibus Tridentinis prope ad Athesin,<sup>1</sup>  
fluvium amoenum situm est oppidum Ita-  
liae: Roveretum. In arce eius perantiqua post  
bellum, quod insano furore per multos annos  
gentes ac populos paene totius orbis terra-  
rum vexabat, collocatum est musaeum, ubi  
servarentur reliquiae omnis generis armorum  
ac telorum, quibus belli tempore inimico  
inter se animo milites variorum populorum  
pugnabant. Quarum tristium reliquiarum  
memoriae mitigandae minuendaeque causa  
gens Italorum nobilissima «Campanam<sup>2</sup> Emor-  
tuorum<sup>2</sup> Heroum»,<sup>2</sup> eorum scilicet qui bello,  
quod umquam gestum est, atrocissimo vitam  
et sanguinem pro patria sua intrepido<sup>3</sup> animo,  
promptis<sup>4</sup> ad fortia viribus effuderant, in  
munimento<sup>5</sup> Malperiano ponendam curavit  
statuitque, ut quotannis certo die sonitu suo  
gratam posteritatis memoriam erga defun-  
tos victimasque<sup>6</sup> belli excitaret.<sup>7</sup> Hoc anno  
postridie Kalendas Maias campana illa asper-  
itatatem rerum severitatemque sortis humanae  
mitificans pro nostris Rovereti pulsabatur  
heroibus sonitusque eius mira Marconiana  
arte per aetheris undas usque ad extremas  
terrae partes allatus ubique certe iacturam<sup>8</sup>  
tot millium hominum, cum sua ipsi recorda-

rentur damna, cum ingenti luctu populo-  
rum nuntiavit.

\*

*Michael Kmoskó linguarum orientalium professor in universitate Budapestinensi de Petro Pázmány appellata a. d. V. Id. Apr. vita cessit. Nomen eius praeclarum ubique apud exteras gentes quam latissime percre-  
buit. Vir doctissimus, quem lugemus anno 1876. est natus in oppido Illava studiisque theologicis in universitate Vindobonensi summa cum professorum laude absolutis studiorum causa in<sup>9</sup> alienis<sup>9</sup> civitatibus<sup>9</sup> peregrinabatur. Postquam scientiam litterarum sanctarum penitus percepit<sup>10</sup> atque comprehendit,<sup>10</sup> domum reversus seminario Budapestinensi est praepositus, anno autem 1908. in amplissimum professorum universitatis ordinem promotus est. Ex quo tempore vir perfecte planeque eruditus in universitate Budapestinensi litterarum<sup>11</sup> divina-  
rum<sup>11</sup> interpretationem<sup>12</sup> nec non litteras Hebraicas profitebatur.<sup>13</sup>*

<sup>1</sup> Adige <sup>2</sup> Hösök harangja <sup>3</sup> rettenthetetlen <sup>4</sup> tettre kész <sup>5</sup> bástya <sup>6</sup> áldozat <sup>7</sup> felkelt, felhív <sup>8</sup> elvesz-  
tés <sup>9</sup> külföldön <sup>10</sup> elsajátít <sup>11</sup> szentírás <sup>12</sup> magy-  
rázat <sup>13</sup> tanít.



## Ubi sint Olympia XI. (a. 1936.) instituenda?

*Societas<sup>1</sup> Nationum<sup>1</sup> Olympia<sup>1</sup> a. 1912. Stockholmi constituit, ut ludi Olympici (i. e. Olympia VII.) anno 1916. Berolini a Germanis, Olympia autem proxima a. 1920. Budapestini a nobis instituerentur. Sed rem longe aliter evenisse, ac quisquam mente tunc effingere potuisse, omnibus constat. Iam Germani sumptibus maximis stadium, haud scio an toto orbe terrarum splendi-  
dissimum Berolini construebant, cum herede regni nostro Francisco Ferdinando et uxore eius necatis (a. 1914. a. d. IV. Cal. Iul.) ex-  
solvabantur belli furiae iam 36 annos de-  
vinctae ita, ut atrocissimum in Europa exortum sit bellum, cui simile haud umquam in historiis populorum invenias. Tunc Ger-  
mani cum hostibus eiusmodi industias,<sup>2</sup> quae apud Graecos (eorum lingua: ἐπειγόντα) ad tempus ludorum habendorum inibantur, nullo modo potuerunt pacisci.<sup>2</sup> Nam tem-  
pore Olympiorum tota Graecia triginta dies, (vel ut nonnulli arbitrantur: tres menses)*

indutiae factae sunt. Itaque Germani impe-  
diebantur, quominus ludos curarent instituendos.

Nuper litteras accepi Berolino a *Theodoro Lewald*, rerum in Germania gymnasticarum duce clarissimo, quibus me rogavit, effice-  
rem<sup>3</sup> apud nostrates, ut proxima Olympia anno 1936. Berolini a Germanis institue-  
rentur.

Voluntati hominis egregii obsecuturus sine mora me ad *Nicolaum Mártonffy*, adminis-  
tratorom rerum in patria nostra Olympica-  
rum contuli. Qui animo libentissimo pro-  
misit se desiderio Germanorum fauturum  
reique nuntium *Eugenio Karafiáth*, praesidi<sup>4</sup> Consiliariorum<sup>4</sup> Corpori<sup>4</sup> Conformato<sup>4</sup> Exercendoque<sup>4</sup> Publicorum<sup>4</sup> allaturum. Tum suadente Mártonffyo *Iulium Muzsa*, praesi-  
dem Sectionis<sup>5</sup> Olympicæ<sup>5</sup> adii, qui et ipse affirmabat iusto iure Germanos sibi Olympia novissime instituenda vindicare iamque se nuperrime cuidam legato populi illustris-  
simi suasisse, ut partes Germanorum seque-  
retur.

Dubium non est, quin ius Germanorum, quod ad Olympia XI. instituenda pertineat, non in controversiam<sup>6</sup> vocari possit. Ne id quidem omittendum esse videtur hanc fuisse illam gentem, quae Olympiam (ab anno 1875. usque ad. a. 1881.) maximo sumplu suo effo-  
diendam curaverit. Cum autem effossiones Olympiae prosperrime progrederentur, *Petrus Coubertin*, vir ille antiquitatis fautor' alacer-  
rimus<sup>8</sup> mira quadam inflammatione<sup>9</sup> animi<sup>9</sup> adductus congressui Parisiano a. 1894. instau-  
rationem<sup>10</sup> ludorum proposuit. Quod cum omnium consensu comprobaretur consilium,  
biennio tantum interiecto a. 1896. primi *Athenis* celebrabantur Iudi. Quos secuti sunt ludi Olympici *Parisiis* (anno 1900.), *St. Louis* (a. 1904.), *Athenis* (a. 1906.), *Londinii* (a. 1908.), *Stockholmi* (a. 1912.). *Antwerpeni* (a. 1920.), *Parisiis* (1924.), postremo *Amstelodami* (a. 1928.).

*Societas Nationum Olympia Stockholmi, ut supra memoravimus, a. 1912. edixit, ut ludi in annum 1920. a. nobis fierent. Itaque, si nos quoque postulabimus, ut proximi ludi Berolini a Germanis instituantur, etiam ius nostrum renovabitur et iuvante Deo Olympia XII. anno 1940. Budapestini celebra-  
buntur.*

*Franciscus Mező dr.*

<sup>1</sup> Nemzetközi Olympiaközösség <sup>2</sup> fegyverszüne-  
tet köt <sup>3</sup> kieszközöl <sup>4</sup> Országos Testnevelési Tanács  
(OTT) elnöke <sup>5</sup> Olympiaközösségi Bizottság <sup>6</sup> vita <sup>7</sup> párt-  
fogó, védő <sup>8</sup> buzgó, elszánt <sup>9</sup> lelkű felbuzdulás <sup>10</sup> meg-  
újítás, életre keltés.

Facta sunt iuvenum, consilia mediorum,  
vota senum.



*Aerobaticum Zeppelinianum*, quod nuperime Urbem nostram visitavit, a.d. V. Id. Apr. e Portu Friderici Eckenero duce in Aegyptum volavit, unde tertio die regionibus Aegypti et Palaestinae circumvolatatis feliciter domum revertit.

## Claudii.

Ad fabulam *Ernesti Eckstein* Latine scripsit  
Valentinus Fehér.

### VIII. Finis.

— Titus Claudius animam<sup>1</sup> agit<sup>1</sup> — susurabant servi in domo magna, vacua, silentia.<sup>2</sup>

— Morietur! — singultat Octavia desperans, vultum viri luridum macieque<sup>3</sup> confectum<sup>3</sup> intuens.

— Morietur — ferebatur per omnium ora.  
Tum aegrotus in lecto se levavit.

— Nonne, mi Quinte, non me exsecraberis?<sup>4</sup> Ego te semper amavi, vehementer amavi, magis quam meam vitam. O legem crudellem, improbam!<sup>5</sup> Vae mihi! interfectorem<sup>6</sup> me dicens... interfectorem. Aspice, Quinte, hanc manum, quoties faciem tibi mulsit<sup>7</sup> et pulchros capillos! O illas bestias terribiles! date veniam! parcite vitae iuvenili!

Clamor raucus<sup>8</sup> auditur, dein fit silentium.

— Pater — ait Quintus — carissime pater, cognoscisne me? Ego sum ipse tuus filius. Aspice dum,<sup>9</sup> adsunt Corneliam et C. Aurelius, qui nos a morte eripuit.

T. Claudius hac audita voce per somnum exterritus oculos fractos coniicit in filium, qui genibus nitens manum ipsius servidum<sup>10</sup> ac torridum<sup>11</sup> osculis cumulabat.<sup>12</sup>

— Quinte, Quinte! — clamat pater gaudio tremens.

Tum ingreditur Palaemo medicus et arte-riam<sup>13</sup> aegroti contrectat.<sup>14</sup>

— Sinite istum quiescere — ait suppressa voce. — Nunc ipsum est discrimin.<sup>15</sup>

Omnes exeunt, Claudia et Baucis solae remanent. Cum Claudius obdormivisset, Aurelius ad limen apparuit.

— In vita manebit — inquit Claudia supressa voce.

Pontifex duabus horis ante medium noctem exrectus Quintem percontatur.<sup>16</sup>

Postero die circiter meridie aegrotus in

lecto sollicite huc illuc se movere coepit. Quod ubi Palaemo enuntiavit, omnes ad lectum conveniunt.

Aegrotus grave trahit susprium; dein levato corpore fulgentes oculos circumfert.

— Tune es? Quinte, mi fili carissime!

— Mi pater! — et adolescens singultans patrem osculatur.

— Tune, C. Aureli, meum Quintum liberasti?

— Ego.

— Quomodo res tibi successit?

— Domitianus mortuus est — ait Aurelius. — Nerva, novus Caesar, vir ille mitis et iustus, de manibus Nasarenorum me vincula demere iussit. Quintum et Corneliam liberavimus, legem abrogavimus.

— Sic dii voluere — inquit Claudius maestus. — Munere pontificali me abdicare<sup>17</sup> oportet. Summito<sup>18</sup> me potentiae rerum. Quod adhuc usque proditio fuit, nunc fit lex. Homo sum fragilis<sup>19</sup> ac mortalis. Insolentiae<sup>20</sup> est<sup>20</sup> iudicare. Admiror et taceo. Post tot dolores primum meum verbum sit reconciliationis.<sup>21</sup> Cai Aureli, mea filia te amat; igitur sit tua uxor.

Per idem tempus Eurymachus, servus quondam Stephani, Roma egressus iter ad Ostia dirigebat. Inde in Galliam se contulit, ubi Christianam religionem differret.<sup>22</sup> Lycoris contemptu splendore ac luxuria baptizata est.

<sup>1</sup> haldokläk <sup>2</sup> néma <sup>3</sup> lesoványodott <sup>4</sup> átkoz  
<sup>5</sup> gonosz <sup>6</sup> gyilkos <sup>7</sup> simogat <sup>8</sup> rekedt <sup>9</sup> csak  
<sup>10</sup> forró <sup>11</sup> kiaszott <sup>12</sup> elhalmoz <sup>13</sup> ütőér <sup>14</sup> meg-  
tapogat <sup>15</sup> fordulópont, krisz <sup>16</sup> keres, tudakozódik  
<sup>17</sup> lemond <sup>18</sup> aláveti magát, meghajol <sup>19</sup> gyöngé  
<sup>20</sup> elbizakodottság volna <sup>21</sup> kibékülés <sup>22</sup> terjeszt.

## SALSE DICTA

*Nicocles, tyrannus Sicyonius* interrogatus, quosnam homines felicissimos praedicaret, respondit: «Medicos habeo felicissimos, quod omnes eorum successus<sup>1</sup> sol intueatur, errores autem terra operiat.»

\*

*Bias, philosophus Prienaeus* percontanti quod animal esset maxime noxiun, respondit: «Si de feris interrogas, tyrannus, si de cicuribus,<sup>2</sup> adulator.»

\*

*Cum Eucrites* interrogaretur, utrum Croesus esse mallet an Socrates, dixisse fertur: «Vivus Croesus esse mallem, mortuus autem Socrates.»

(Aem. Läng.)

<sup>1</sup> siker <sup>2</sup> szelid.



1	2		3	4	5	6	7	8
9		10				11		12
	13	14		15	16			
17	18	19				20		
21	22		23		24			27
25					26			
28					29			
30		31	32					
33	34					35	36	
	37		38		39			
40	41	42	43	44		45	46	
	47							

*Series directae.*

1. philosophus Graecus, discipulus Socratis
  9. oppidum Phoeniciae, hodie: Akka
  10. is, qui sapiens et censorius dictus est
  11. contrarium indulgentiae
  13. . . es: ordo militum
  15. exclamatio
  17. duae vocales
  19. filius Veneris
  20. littera Graeca
  21. adverbium
  23. alio verbo: una
  25. sic operantur fures (retroversum)
  26. alio verbo: occulo
  28. C. . . . provincia inter Lydiam et Lyciam
  29. avis Veneri consecrata (retrov.)
  30. cognomen Ovidii
  32. qua intonsae oves vestitiae sunt
  33. coniunctio (retrov.)
  34. lupus facit
  35. coniunctio
  37. forma verbi: sum (retrov.)
  38. vide: 15
  40. rex bestiarum
  42. . . . maior (retrov.)
  45. cultrum acuit
  47. flumen et oppidum Arcadiae, ubi Hercules Stymphalia monstra occidit

*Series libratae.*

1. coniunctio
  2. filia Numitoris
  3. futurum verbi: scio
  4. coniunctio (retrov.)

5. praesens verbi: ire
  6. pater Philoctetae
  7. fructus vitis
  8. coniunctio
  9. idem ac: incumbo aratro
  12. pronomen
  14. mons Europam ab Asia seiungens
  16. rhetor Graecus (in dativo)
  18. urbs Etruriae, hodie Bargiano
  20. cognomen Minervae
  22. pronomen
  24. vicus prope Syracusas
  25. . . re. Saepe procellis agitatur
  27. eaedem vocales
  31. sucus pinguis olivae
  32. amiculum summum
  33. his tribus litteris dies primus mensis nota-tur
  36. contra vim valet....
  37. numerale indefinitum
  39. hāc quoque pingunt puellae
  41. forma verbi: sum
  43. dueae consonantes
  44. exclamatio
  46. pars capitisi.

Norbertus Karg.

## Solutio aenigmatis numeri VII.

*Ixion, Parcae. Semele, Endymion, Delius, Iberus, Xerxes, Icarus, Tempe.* — Dictum autem notissimum: *Ipse dixit*. Pythagoreos ferunt, si quid affirmarent in disputando, cum ex eis quaereretur, qua re ita esset, respondere solitos: *ipse dixit*; ipse autem erat Pythagoras. (Cic. De deorum natura I. 5. 10.)

(Cic. De deo in natura I. 3. 10.)  
**Aenigma numeri VII. recte dissolverunt:**  
Ionnes Horváth, Franc. Handler (Pécs), Discipuli  
cl. V. gymn. realioris reg. cath. (Mezőkövesd),  
Tiburtius Zöhls, Paulus Kürthy, Paulus Zsoldos  
(Budapest), Iulius Vattamány, Alexander Föve-  
nyessy, Rudolphus Orbán, Thom. Mattyasovszky,  
Lorandus Halász, Ladislaus Pichler (Pécs).

**Praemium Francisco Handler Sopianensi sorte ob-  
venit.**

## **Epistolia Officialia.**

Si quis premium totum subscriptionis nondum solvit, solvere properet, ne ephemeralidem retinere cogamus.

## Moderator ephemeralis: EUGENIUS EBAY DE

Budapest, I., Verpeléti-út 22.

ad quem epistulae et manuscripta mittantur.

### **Administratio ibidem.**

Sumptibus Societatis Magistrorum Intermedi-  
scholarium Catholicorum. — A Katholikus  
Középiskolai Tanáregyesület költségén.

(Praeses: STEPHANUS ACSAY DR., elnök.)